

accepto perseverantes esse invictissime velint. Hoc autem etiam de angelis bonis dicendum erat in nostro systemate, ubi *indeclinabilitas, insuperabilitas* et invictissima ratio in eo potissimum fundatur, quod gratia a Deo detur sub infallibili scientia media de secuturo effectu; ergo.

R. *Ad 1^{um}. D. min.* Ideo sancti nunc per gratiam perseverant, quia habent gratiam congruam, quam reipsa habere non permittitur eorum libero arbitrio *C.* quia simpliciter habent gratiam congruam *N.* Quamvis *sancti naturæ lapsæ* libere consentiant gratiæ congruæ, tamen si præviderentur illi gratiæ non consensuri, Deus illis aliam conferret, cum qua bene operaturi præviderentur, et hac ratione gratia congrua ipsorum arbitrio non relicta dicitur: quia vero ex opposito Deus non dedisset *angelis sanctis* gratiam aliam, si, quam prævidit congruam, prævidisset cum consensu non conjungendam; hinc sub hac ratione eorum arbitrio gratia relicta dicitur.

R. *Ad 2^{um}. 1^o.* Locum illum Aug. intelligendum esse de perseverantiæ gratia *adequate* sumpta, ut satis ex contextu patet. *2^o. N. cons. S. Aug.* enim nulli negat, quod etiam indeclinabiliter perseveraverint sancti angeli, sed tantum, quod perseverasset Adam *si vellet*; nunc autem sanctis detur, ut invictissime velint, nempe per gratiam inspirationis, quæ non erat in natura integra. *3^o. D. et suppleo rationem min.* Quod quomodocumque detur gratia sub infallibili scientia media *N.* quod sic detur, ut loco illius daretur alia, si hæc prævisa fuisset effectum non habitura *C.*

283. *Observa. Prædeterminatio physica* nec videtur posse intelligi per solum adjutorium *quo*, ita ut tantum detur in statu naturæ lapsæ; quia tum essentialis cujuslibet causæ secundæ a causa prima dependentia, tum infallibilitas divinæ cognitionis circa actus nostros liberos, ex quo duplici fundamento prædeterminatio dicitur necessaria in statu naturæ lapsæ, etiam locum habent in statu naturæ integræ. Nec per adjutorium *quo*, simul et *sine quo non*, ita ut prædeterminatio tam fuerit data angelis perseverantibus, quam nunc datur prædestinatis; patet ex propp. *S. Aug. num. 271.* : videlicet Adamus integer alio adjutorio opus habuit, ac nunc sancti: sancti in hac vita indigent majore et potentiore auxilio, quam indiguerit Adamus: si Adam perseverasset, perseverasset cum eodem auxilio, cum quo cecidit: angeli sancti perseverarunt per liberum arbitrium, sancti hujus vitæ per donum gratiæ. At singula hæc discrimina a *S. Aug.* totidem verbis asserta non subsistunt, si utrique statui ad perseverandum necessaria sit *prædeterminatio*.

CAPUT II.

DE NECESSITATE GRATIÆ ACTUALIS.

ARTICULUS I.

AN HOMO SOLIS NATURÆ VIRIBUS POSSIT MERERI AUT IMPETRARE GRATIAM, VEL AD EAMDEM SE DISPONERE?

284. *Dico I.* Homo solis naturæ viribus nequit de condigno aut congruo mereri gratiam. Est de fide.

Prob. I. Ex sententia universæ Ecclesiæ, gratia actualis prima est omnino indebita et gratuita, ad Rom. 11. v. 6. *Si autem gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non est gratia.* Ergo excludit sine discrimine omne meritum sive congruum, sive condignum.

Prob. II. Ex eadem sententia nullum gratiæ justitiæve, pietatis aut salutis initium tribui potest facultati naturæ, sed Deo, Deique gratiæ supernaturali, ad Rom. 3. v. 20. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et v. 24. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* Item 1. ad Cor. 4. v. 7. *Quis enim te discernit?* Ad Philipp. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.*

Prob. III. Similiter dogma Ecclesiæ est, liberum arbitrium non posse sine gratia aliquid salutare seu conducens ad salutem agere; juxta illud Christi, Joann. 15. v. 5. *Sine me nihil potestis facere.* Et Joann. 6. v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum.* Item 1. ad Cor. 4. v. 7. sup. cit. *Quid habes, quod non accepisti?* Et ad Rom. 11. v. 35. *Quis prior dedit illi, et retribuetur ei?*

Prob. IV. Nullum opus meretur præmium, quod est supra omnem connexionem transcendentem naturæ operantis; quia etiam meritum congruum sine connexionem ad præmium concipi nequit. Sed quælibet gratia actualis, tanquam *donum supernaturale*, est supra omnem connexionem transcendentem naturæ rationalis suis viribus operantis; ergo quælibet gratia est supra meritum qualecumque naturæ rationalis suis viribus operantis.

285. *Dico II.* Homo nequit impetrare gratiam, aut ad eam se disponere per orationem naturalem.

Prob. Ad Rom. 8. v. 26. dicitur: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis (vel ut S. Aug. cum aliis legit) interpellat gemitibus inenarrabilibus.* In quem locum idem in ep. 105. (al. 194. c. 4. n. 16.): *Dictum est, scribit, interpellat, quia interpellare nos facit, nobisque interpellandi et gemendi inspirat affectum.* Et Joann. 15. v. 7. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet*

vobis. Ergo omnis oratio conducens ad salutem jam ipsa prius fit per gratiam saltem actualem, estque supernaturalis. Unde CONC. ARAUS. can. 3. *Si quis, inquit, ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isaia Prophetæ, vel Apostolo, etc.* His accedunt Patres AMBROSIVS, CHRYSOST., AUG., PROSPER, etc. quos vide apud Ripalda L. 1. Disp. 19.

Conf. Quia oratio, prout etiam est impetratio discreta a merito, daret initium salutis nostræ libero arbitrio: esset opus conducens ad salutem sine gratia: haberet connexionem ad aliquid supernaturale transcendentem; quæ omnia falsa sunt.

286. *Dico III.* Nequit homo solis naturæ viribus se positive disponere ad gratiam.

Prob. I. Ejusmodi dispositio positiva dicitur, quæ per modum causæ moralis vel conditionis habet intrinsecam connexionem cum dono: sed non est connexa cum gratia ratione ipsius gratiæ, quasi hæc exigeret dispositionem; quia misericordia Dei dat etiam gratiam maxime indispositis, juxta illud Isa. 63. v. 1. *Invenerunt, qui non quæsiverunt me... Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas;* quod S. AUG. L. 1. contra duas epist. Pelag. c. 19. et L. de gr. ac lib. arb. c. 6. n. 14. probat, expendens hanc Dei gratiam in vocatione Pauli, eandemque in se cognoscit L. 4. 5. et 7. Confess. per plura capita. Neque est connexa ratione sui, quasi ipsa posita exigeret collationem gratiæ; quia nihil naturale exigit supernaturale.

Prob. II. Dispositio nequit dici causa moralis gratiæ; cum sic evaderet causa meritoria superius rejecta: neque etiam conditio. Nam opera naturalia vel essent conditio impertinens; et sic nihil connecterentur cum gratia: vel essent conditio conducens ad gratiam; ergo eam Deus expectaret, aut non expectaret ad gratiam conferendam. Si primum; sententia hæc repetit ex parte errorem ab ARAUSICANO damnatum Can. 4. Si secundum; ergo nec stricta conditio est, nec quomodo conducat ad salutem, ostenditur.

Conf. PATRES æque ac CONCILIA non videbantur sibi satis cavisse a Semi-pelagianis, nisi asserendo, naturam ante omne auxilium gratiæ nihil posse præter peccatum et mendacium, ut liquet ex AUG. L. 2. de pecc. mer. c. 18., L. 4. contr. Julian. c. 3. n. 15. alibique; ex PROSP. ad Capit. Gallorum c. 6.; ex ARAUS. Can. 22. Ergo facultati naturæ nulla dispositio positiva ad gratiam ex eorum sensu concedenda est.

287. *Dico IV.* Potest homo solis naturæ viribus se disponere ad gratiam negative; idque vel removendo prohibens, scilicet peccatum, seu potius evitâdo majorem indignitatem ex peccato orituram; cum peccatum stricte non prohibeat, aut absterreat Deum a danda gratia, qui etiam peccatoribus dat gratiam sæpe abundantioram, juxta illud ad Rom. 5. v. 20. *Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia:* vel ponendo aliquod facilitans exercitium salutarium operum, nempe actus et opera virtutum naturalium, a quibus vel excluduntur habitus vitiosi, vel nascuntur habitus virtutum acquisiti.

Ratio est, quia imprimis hujusmodi remotio prohibentis, aut positio faci-

litantis potest dici dispositio qualiscumque et aptitudo seu capacitas, vel minor ineptitudo seu incapacitas aut indignitas: Deinde quia hæc remotio ac positio supponitur hic, ex infra dicendis, viribus hominis naturalibus possibilis: Denique quia nihil hic asseritur, quod in prioribus rejecimus; nec aliunde etiam aliquid obstat; unde et secundum sensum a nobis positum assertio non habet adversarios.

288. *Obj. I. contr. 1^{um}.* SCRIPTURA sæpe innuit opera naturalia præcedere gratiam vel tanquam meritum, vel tanquam dispositionem; ergo. *Ant.* patet 1. ex Zachar. 4. *Convertimini ad me..., et convertar ad vos.* 2. ex Prov. 16. *Homini est animam præparare, et Domini gubernare linguam.* 3. ex ep. ad Rom. 7. *Velle, adjacet mihi: perficere autem bonum, non invenio.* 4. ex 2. Paral. 15. *Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo: si quæsieritis eum, invenietis etc.* Quo pertinet etiam dictum Christi Luc. 11. *Petite, et dabitur vobis: quærite, et invenietis etc.*

R. N. A. Quia SCRIPTURA his textibus duntaxat docet præter gratiam excitantem requiri adjuvantem, vel præter gratias actuum interiorum dari uberiorem ad actus externos et arduos perficiendos.

Ad prob. 1^{am}. R. Cum S. AUG. L. de gr. et lib. arb. c. 5. n. 10. Etiam dicitur Psal. 79. *Deus virtutum, converte nos.* Et Ps. 84. *Converte nos, Deus salutaris noster, etc.* Ergo quod convertimur ad Deum, est donum Dei. Item venire ad Christum quid est, nisi ad eum credendo converti, et tamen Christus Joann. 6. *Nemo, inquit, potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*

Ad prob. 2^{am}. R. Cum eodem L. 2. contr. duas ep. Pelag. c. 9. n. 19. Quomodo ergo Christus dicit? *Sine me nihil potestis facere.* Et Apostolus? *Non sumus sufficientes aliquid cogitare ex nobis, si homo suis viribus potest præparare animam.* Non enim sine cogitatione potest esse animæ præparatio. Et n. 20. *Ecce Deus admonet, inquit, ut præparemus voluntatem..... et tamen ut hoc faciat homo, adjuvat Deus.*

Ad prob. 3^{am}. R. Cum eodem ex Apostolo: *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Unde L. de prædest. SS. c. 2. n. 5. *Sicut, inquit, nemo sibi sufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcumque opus bonum..... unde in omni opere bono et incipiendo et perficiendo sufficientia nostra ex Deo est; ita nemo sibi sufficit ad incipiendam vel ad perficiendam fidem, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Ad prob. 4^{am}. R. Ex eodem ad primum ex L. de gr. et lib. arb. c. 5. n. 12. Quomodo quæsivit Paulus, aut quæ merita bona habuit, ut gratiam inveniret? *Meritum fuit quidem in Apostolo Paulo, sed malum, quando persequeretur Ecclesiam: unde dicit, non sum idoneus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Cum ergo haberet hoc meritum malum, redditum est ei bonum pro malo: ideoque secutus adjunxit: Sed gratia Dei sum id, quod sum.* Ad 2^{am}. vero ex L. de don. persever. c. 23. n. 64. *Intelligimus et hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde et spiritualiter clamemus ad Deum. Attendant ergo quomodo falluntur, qui..... nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus, atque pulsemus.*

Inst. 1. Christus in parabola Matth. 25. docet, gratias distribui secundum propriam virtutem, h. e., opera naturalia virtutum moralium: *Unus dedit*

quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem; ergo.

R. Hanc parabolam plures explicationes admittere, quin ad meritum naturale gratiarum descendatur. Interpretum enim plerique volunt, illud secundum propriam virtutem additum esse ad explendam narrationem parabolæ ex hominum consuetudine desumptam, non vero ad aliquid Deo gratiarum distributori applicandum. Alii in sensu talentorum explanando varia commentantur, atque per ea vel intelligunt dona naturalia secundum meritum vel capacitatem naturæ distributa: vel gratias gratis datas, quæ ad sui ministerium perfectum nonnunquam naturæ virtutem et aptitudinem præsupponunt: vel gratiam justificantem, quæ juxta meritum supernaturale dispensatur: vel gratiam actualem, de cujus distributione varii etiam varia systemata formant.

Inst. 2. Zachæus meruit recipere Christum, antequam crederet: Latro in cruce invenit gratiam: Cornelius Centurio vocatus est ad fidem propter præcedens meritum, quod ex fide non erat, neque supernaturale; ergo.

R. N. A. Credidit enim Latro, ut docet S. Aug. L. 1. de Anima et ejus orig. c. 9. n. 11. Neque, ut loquitur idem Doctor L. de prædest. SS. c. 7. n. 12., Cornelius sine aliqua fide donabat et orabat, quomodo nam invocabat, in quem non crediderat etc. Idem de iisdem et Zachæo testatur ARAUS. post can. 25. his verbis; Unde manifestissime credendum est, quod et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revocavit; et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini missus est; et Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, illa tam admirabilis fides non fuit de natura, sed divinæ gratiæ largitate donata. Porro neque illis occasio credendi deerat, ut de Zachæo et latrone, qui Christi miraculis præsentibus aderant, liquet: de Cornelio autem etiam statui potest, utpote qui inter Judæos diu agebat. Cum vero de hoc S. Aug. enuntiet illud: non sine aliqua fide; forte is nondum habuit fidem satis explicitam in Christum, licet de eodem audiverit: habebat tamen implicitam in Christum, et explicitam remuneratoris; unde orabat dirigi ulterius, et duci in viam salutis.

289. Obj. II. Sancti PATRES plures nobis adversantur, 1º. asserendo, voluntatem incipere et a se prius, quod suum est, offerre, ut Deus suam illi gratiam largiatur; 2º. negando, Deum prævenire sua gratia voluntates nostras.

R. SS. PATRES, ut jam olim observavit AUG. L. de prædest. SS. c. 14. n. 27. ante hæresis Pelagianæ ortum scribentes, non tam in defendenda gratia, quam propugnando contra Marcionitas, Manichæos et alios Hæreticos libero arbitrio laboraverunt; unde factum, quod subinde non accurate omnino de gratia præveniente loquerentur, neque semper a Semipelagianorum errore abessent, quemadmodum ipsi AUG. sub prima tempora acciderat, quin tamen ex eo aut eorum sanctitati, aut fidei macula adhereret. Quoniam tamen COELESTINUS in ep. ad Gallos, et CONC. ARAUSICANUM doctrinam orthodoxam laudant tanquam acceptam ab Ecclesiæ Patribus; et AUGUSTINUS etiam l. cit. contendit, mentem Patrum nunquam fuisse a veritate Catholica alienam.

Inst. 1. S. CHRYSOSTOMUS, in 1^{um}. sensum, hom. 27. in Genes. n. 6. (opp. t. 4. p. 264. B.): Tanta est erga nos, ait, Dei benignitas; nam ubi viderit

voluntatis nostræ firmum propositum... non tardat, neque differt, sed accelerat. Hom. 42. n. 1. autem hæc habet: Istuc ipsum quod patriarcha (Abraham)... a seipso et a scientia quæ naturæ insita est, in tantum pervenit virtutis fastigium, sufficit ut omnes nostras excusationes refutet. At forte dicent aliqui, quod vir ille multam a Deo gratiam consecutus sit... Fateor ita esse et ego: verum nisi primum et ipse quod suum erat fecisset, non tanta a Domino obtinisset. Ea propter non solum vide, sed in unoquoque diligenter attende, quomodo primum in omnibus virtutis suæ indicium exhibuerit, atque sic divinum meruerit præsidium.

Pro 2º. sensu sic loquitur hom. 17. in Joann. (al. 18. n. 3.) ad illa verba: Conversus Jesus et videns eos sequentes, etc. Hinc admoneri possumus, Deum suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed a nobis incipiendum esse. Et hom. 12. in ep. ad Heb. n. 3. initio moralis doctrinæ: Oportet nos primum bona eligere, et tunc affert (Deus) quæ sua sunt. Non prævenit nostras voluntates, ne perdat nostrum liberum arbitrium. Quando autem nos elegerimus, tum nobis multum affert auxilium.

R. S. CHRYS. vindicatus est a pluribus, 1º. asserendo plurimas ex ejus scriptis sententias, quibus manifeste docet et gratiæ ad omne opus meritum necessitatem, et perfectam gratuitatem, ut videre est apud Ripald. L. 1. disp. 17. sect. 11. 2º. Elucidando objecta ex eo testimonia. Cum his sigillatim

Ad 1^{um}. text. R. Illud voluntatis firmum propositum non esse voluntatis sibi ipsi tantum relicte, sed gratia Dei præventæ; quia paulo ante præmiserat: hom. 27. in Gen. n. 5. Prius enim Dominus benefacit et nostram naturam ad se allicit... tantum magno fervore accedamus, et supernæ gratiæ innitiamur.

Ad 2^{um}. R. Per illa verba, a se ipso, scientiam a natura insitam, quod suum erat, etc. non intelligi solas vires naturales, sed excludi duntaxat legem scriptam, prædicationem Evangelii, et illam ubertatem gratiæ, quæ datur post passionem Christi; nam et hoc testimonii innuit initium, et nunc dici solet, quod Patriarcharum tempore ante Moysen viguerit lex naturæ non eo tamen sensu, ac si gratia et fides ad salutem necessaria non fuisset.

Ad 3^{um}. R. In homilia in Joann. 71. (al. 72. n. 3.) dum exponit illud: ut diligatis invicem, sicut ego dilexi vos, sic ait: Non enim vestris præcedentibus meritis debitum persolvi, sed ego incepi; unde in hoc loco objecto non excluduntur gratiæ quasi ordinariæ et communes omnibus, aut prævenientes, sed extraordinariæ et uberiores, aut augmentum gratiæ, vel gratia sanctificans.

Ad 4^{um}. R. Ibidem S. Doctor sic loquitur: Etiam si curras, etiam si stadium ponas, ne tuum esse existimes quod recte gestum est. Et hom. 28. in eadem epistolam n. 2. (opp. t. 12. p. 257. B.) ad ea verba: Aspicientes in Auctorem fidei, hæc refert: Ipse nobis fidem indidit.... Ipse nobis imposuit principium, ipse quoque nobis finem imponet. Quare id suadere duntaxat intendit, quod Deus exigat liberam nostram cooperationem cum gratiis primis aut prioribus, ut det alias et majores, ac donum perseverantiæ.

Inst. 2. Semipelagiani, contra quos Patres et Concilia supra laudata præcipue egerunt, operibus naturalibus tribuebant meritum condignum; ergo a Patribus et Conciliis non fuit reprobatum meritum congruum: id quod inde etiam probatur, quia veterum Scholasticorum multi meritum con-

gruum naturæ non denegarunt, id minime ausuri, si ita sensissent olim *Semipelagiani*, et aliter fuisset definitum.

R. Quamvis *Semipelagiani* non raro posuerint opera naturalia esse condigna mercede gratiæ supernaturalis, tamen eadem etiam sæpe dixerunt non condigna, et hinc admiserunt aut meritum congruum, aut a condignitate vel congruitate præscindens, ut liquet ex CASSIANO Collat. 13. c. 12., L. 12. de Cænob. Instit. c. 14. *Dicimus..... petitionem et inquisitionem et pulsationem nostram non esse condignam, nisi misericordia Dei id quod petimus dederit.* Similia referuntur a FAUSTO L. 1. de gr. et lib. arb. c. 17. Colligitur vero hoc ulterius ex ratione, cur naturalibus operibus tribuerint meritum, quæ erat, ut posset dari causa, cur unus eligatur, alter relinquatur; ad quod sufficiebat quodcumque meritum. Item ex doctrina Patrum et Conciliorum *Semipelagianos* oppugnantium, qui omnem rationem meriti tam congrui, quam condigni naturæ negarunt.

Ad id quod de Theologis Catholicis additur, R. Varios modos apud benigniores vetustatis censores et auctores legere est, quibus illi dato quodam discrimine a *Semipelagianismo* liberentur.

Inst. 3. Nisi detur meritum naturæ gratiæ, duplex sequitur absurdum. 1^{um}. Deum esse acceptorem personarum; quia non attendit naturæ meritum, ut uni det potius, quam alteri: 2^{um}. tolli liberum arbitrium et potestatem adipiscendi salutem; quia non est in libera facultate medium necessarium ad salutem.

R. *N. seq.* cum S. AUC. qui ad 1^{um}. L. 2. contr. duas ep. Pel. c. 7. n. 13. *Non est acceptio personarum, ubi non est iniquitas: non est iniquitas, ubi quis donat cui vult, sed neminem fraudat; scilicet quia non negat quod debet, sed cui vult, donat, quod non debet.* Sicut et Matth. 20. Paterfamilias dixit operario murmuranti: *Amice, non facio tibi injuriam, etc.* Nempe gratia Dei est donum indebitum homini et meritis humanis; atque hinc eam Deus ex justitia dare non tenetur: *nec acceptio personarum* locum habet, si uni det, non alteri, aut uni plus det, quam alteri. Deus tamen dare vult omnibus: quomodo autem distribuat, est altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei.

Ad 2^{um}. Respondet S. AUC. L. de Sp. et litt. c. 30. *Liberum ergo arbitrium evacuamus per gratiam? Absit: sed magis liberum arbitrium statuimus.... Neque enim lex impletur, nisi libero arbitrio: sed per legem cognitio peccati; per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ a vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium justitiæ dilectio, per justitiæ dilectionem legis operatio.* Et c. 31. n. 54. docet quod per gratiam accipiamus potestatem credendi, etc. ac subdit: *Sed cum potestas datur, non necessitas utique imponitur.* Igitur juxta S. AUC. sine gratia non possumus, cum gratia possumus, et libere volumus.

Porro duplex hic distinguenda est *necessitas*: una *necessitas causæ* necessario inferentis effectum; et hanc olim Pelagius, postea Hæretici et Novatores nostræ ætatis volebant a S. AUC. assertam, eo quod posita gratia præveniente necessario sequatur opus, quod gratia suadet. Sed quamvis ille fassus sit L. de gr. Chr. c. 47. difficultatem in hujus quæstionis expositione, negavit tamen illud assumptum. Altera est *necessitas causæ* ad effectum *ut finem*, quia sine illa causa effectus non habetur; et hanc præcipue opposuit *Pela-*

gius cum suis reliquiis libero arbitrio: sed et eandem libertati nihil obstare docuit S. AUC. pluribus, quæ breviter complexum est CONC. SENONENSE Can. 15., dum inquit: *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio; cum ipsa semper sit in promptu, neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium et pulset, cui si quis aperuerit januam, intrabit ad illum.*

QUÆRES. Quomodo axioma illud: Facienti, quod est in se, Deus non denegat gratiam, sit intelligendum?

290. R. *Probabilius* videtur, axioma hoc intelligendum esse tantum de faciente per vires gratiæ, quod est in se. Hæc assertio quoad dictum est certissima, et a Theologorum Catholicorum nemine improbatur; quia cum Deus sincere et serio velit homines salvos fieri, facientibus, quod in se est, sive cooperantibus gratiæ supernaturali debet *ulteriorem gratiam sufficientem* conferre; cum alias non posset serio velle, si non daret medium necessarium, quod ab alio, quam Deo, haberi nequit.

Quin ab omnibus etiam admittitur, quod Deus cooperantibus gratiæ actuali, ac ultimo se disponentibus ad gratiam *habitualem* et justificantem, eam non deneget, sed infallibiliter conferat; tum quia Deus bene operantibus promisit vitam æternam; ergo etiam gratiam sanctificantem, quæ est vitæ æternæ radix: tum quia Deus ex *alio axioma* in ordine gratiæ accommodat se naturæ; ergo cum in naturalibus post ultimam dispositionem statim introducat formam, et cooperatio cum gratia actuali sit ultima ad gratiam habitualem dispositio, hæc etiam illa posita statim succedit. Quoad modum vero assertio hæc

Prob. I. Ex commodis hujus sententiæ. Nam 1^o. in hoc systemate perfecte defenditur *gratuitas* gratiæ, ejusque donatio unice refunditur in solam Dei voluntatem, juxta illud PROSPERI L. 1. de vocatione Gent. c. 18. *Omnibus ergo hominibus.... causa percipiendæ gratiæ voluntas Dei est, apud quam ratio electionis abscondita est.* 2^o. Pro dignitate commendatur sollicita Dei *providentia* præveniens omnes homines, illisque parans gratiam sufficientem, eamque supernaturalem. 3^o. Retinetur doctrinæ *pariformitas*, atque sicut ad gratiam justificantem non requiruntur, aut sufficiunt opera naturæ præambula, sic nec ad fidei gratiam aut alterius operis ardui. 4^o. Securius cavetur periculum *Semipelagianismi*; quia hic nulla ratione cognoscitur misericordia Dei conferri vigilantibus, petentibus, orantibus, aut quærentibus sine gratiæ auxilio: nullo modo dicitur Deus expectare voluntatem humanam: plane nihil conducere ad salutem intelliguntur opera naturalia.

Prob. II. Ex incommodis sententiæ oppositæ. Præter illa enim modo indicata 1^o. minus definiri potest, *quenam* et *quot* opera naturalia facienti ex viribus naturæ, quod in se est, ponenda sint? an eodem momento, quo agit, an deinceps gratia detur? quæ conferatur gratia, ad opus arduum, an ad fidem? etc. 2^o. Illa opera naturalia facientis, quod suum est, minus accurate vocantur *dispositio negativa*; tum quia hujus nomen operibus indifferentibus, licet removentibus peccatum, negatur: tum quia operibus naturaliter bonis conceditur non tantum ratio minoris indignitatis, sed aliqua condignitas. 3^o. Minus probabiliter peccatum supponitur esse *prohibens gra-*

tiam. Quamvis enim id verum concedatur in ordine ad gratiam specialem aut efficacem, in quem sensum explicatur illud Pauli 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci*; respective tamen ad gratiam sufficientem et dabilem connaturaliter, locum non habet in statu naturæ lapsæ et una reparatæ, ubi *CHRISTUS venit peccatores salvos facere*: et homo quidem propter peccata damnatur ad pœnam, propter non usum gratiæ autem non salvatur. 4°. Minus communiter jam statuuntur *auxilia remote sufficientia* esse tantum ordinis intrinsece naturalis; cum communior doceat ea stare in illustrationibus et inspirationibus supernaturalibus, quibus infideles v. g. non quidem immediate ad *perfectam* et explicitam mysteriorum supernaturalium *fidem*, sed ad supernaturale saltem aliquod veræ religionis ac beatitudinis desiderium, aut actum alium excitantur, qui tanquam dispositio aut inchoamentum conducit ad fidem, potestque dici *fides late dicta*; siquidem juxta hanc doctrinam clarius et facilius percipiuntur S. Scripturæ effata de voluntate salvandi omnes, de morte Christi pro omnibus, aliisque ejusmodi veritatibus: servatur major ac debita gratiæ acceptio: Patrum et Conciliorum phrasis ac sensus communior retinetur.

ARTICULUS II.

AN ET QUALIS GRATIA NECESSARIA SIT AD ACTUS SUPERNATURALES?

291. *Dico I.* Ad omnes *actus salutaris*, h. e. qui juxta S. AUG. vel ad pietatem et veram justitiam, cui merces æterna debetur, spectant, ut sunt ex Conciliis ARAUS. et TRID. credere, sperare, diligere, pœnitere, sicut oportet, ut homini justificationis gratia conferatur; etiam ad *initium fidei* et *pium credulitatis affectum*, requiritur auxilium gratiæ interioris et supernaturalis. Est de fide, et definitum, tum a PONTIFICIBUS, tum a CONCILIIIS, maxime a CARTHAGINENSI AN. 418. contra *Pelagianos*, et ARAUS. II. AN. 529. contra *Massilienses* congregatis, quorum canones dogmaticos universa veneratur Ecclesia; quibus accedit auctoritas TRIDENTINI, quod Sess. 6. can. 3. definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

Prob. EX SCRIPTURA, quæ innumeris locis, præsertim si ad mentem Patrum et Conciliorum intelligantur, bonam voluntatem et actionem nostram, ipsamque fidem attribuit gratiæ divinæ. Speciatim vero de fide, ad Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Et ad Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis gloriatur.* Item 1. ad Cor. 7. v. 25. *Misericordiam consecutus (sum) a Domino, ut sim fidelis.* De pia affectione, ad Philipp. 1. v. 6. *Qui capit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Et c. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Item ad Rom. 9. v. 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex his manifeste apparet, omnia *Pelagianorum* aut *Massiliensium* effugia esse præclusa, quæ vel a gratiæ varia acceptione, vel a distinctione in opus perfectum et initium operis, vel a potentia saltem simpliciter tali, licet minus facili quærebantur,

Conf. 1. AUCTORITATE PATRUM, ac præsertim S. AUG., qui viginti annorum indefessis laboribus et libris plusquam triginta, orthodoxam de divina gratia doctrinam sanctissime discussit, ejusque necessitatem tum contra *Pelagianos*, tum contra *Massilienses* invictissime demonstravit. Unde merito COELESTINUS Papa, aliique post illum, ejus quoad hunc articulum dogmata prædicarunt, ARAUSICANUM autem Concilium suis canonibus inseruit.

Conf. 2. RATIONE THEOLOGICA. Salus vitæ æternæ est supernaturalis; ergo etiam *actus*, qui ad eam conducunt, debent esse supernaturales; quia inter finem et media debet dari proportio. Item fides, justitia vera, et adoptio filiorum Dei est gratia Dei: si autem gratia, jam non est *ex operibus*; quia opera humana nec proportionem, nec ullam connexionem habent ad donum vel præmium supernaturale: exigitur tamen a nobis fides, spes, charitas, et bona opera; ergo exiguntur opera, non humana, sed divina, sive per specialem *Dei gratiam* facta.

292. *Dico II.* Ad quemlibet actum salutarem etiam *in justo* requiritur gratia actualis, qua excitetur ad agendum.

Prob. I. EX SCRIPTURA Joann. 15. Christus se viti, et discipulos palmiti confert, et TRID. Sess. 6. de justif. c. 16. sic docet: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent, etc.* Ex quibus verbis liquet 1°. Quod ad opera salutaria quæcumque requiratur gratia Christi. 2°. Quod Concilium non loquatur de gratia habituali, cum verba: *Christus in ipsos justificatos virtutem jugiter influit*, denotent auxilium actuale. 3°. Quod loquatur etiam de actuali excitante; cum gratia, quæ præcise est adjuvans, non possit dici *antecedens*.

Prob. II. EX CONCILIIIS. Tridentinum mox relatam est, et ARAUS. II. etiam clarius et frequentius eandem veritatem exponit can. 9. 20. et 25. *Nullum posse credere, amare, et operari, sicut oportet, nisi eum gratia et misericordia divina præveniat.... In omni opere bono nos non incipimus, sed ipse nobis inspirat.* Quæ omnia sicut ad singulos actus necessitatem gratiæ prævenientis enuntiant, sic de justorum etiam operibus vera esse oportet.

Prob. III. EX PATRIBUS, quorum duos duntaxat, sed clarissime loquentes audire juvat. Ita enim S. HIERON in c. 25. Jerem. v. 3. scribit: *Ut hoc ostendat, Dei nos semper indigere auxilio, et nunquam posse sufficere, quod semel datum est, nisi quotidie Domini admonitione renovetur.* Et S. AUG. L. de Nat. et Gr. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Vid. sup. dicta ex Enchir. c. 32. et L. 1. ad Simplic. q. 2.

Prob. IV. EX RATIONE. Ea autem duplex præprimis est, et utraque ex S. AUG. desumpta. 1°. Est; quia justus sæpe vel voluntarie distrahitur; ergo, ut redeat ad negotium salutis, indiget admonitione et excitatione Dei. Ita nempe AUG. L. de Spir. et litt. c. 34. n. 60. *Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem.* Item: *In omnibus misericordia ejus prævenit nos.* Et L. 83. QQ. q. 68. n. 5. *Nec velle quisquam potest, nisi admonitus.... et si quisquam sibi tribuat quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est.* 2°. Est;